



# Disputatio medica inauguralis de febre catarrhali

<https://hdl.handle.net/1874/342359>

D I S P U T A T I O M E D I C A  
 I N A U G U R A L I S  
 D E  
**FEBRE CATARRHALI,**

*Q V A M,*  
 DIVINO FAVENTE NUMINE,  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. M. JOANNIS LUYTS,**

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
 Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque  
 Facultatis MEDICÆ Decreto,*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S,**  
 Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis

ritè consequendis,

*Publico examini subjicit*

**JOHANNES THEODORUS MEISNER, THORUN. PRUSS.**  
*Ad diem 16. Martii, horis locoque solitis.*



**T R A J E C T I ad R H E N U M ,**

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
 Typographi, clo Ic LXXXIX.

V I O R I S  
*MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSLIMIS*  
*ATQUE CONSULTISSIMIS,*

DNN. BURGRABIO REGIO,  
P R A E S I D I ,  
P R A E C O N S U L I B U S  
E T  
C O N S U L I B U S  
Reipubl. Thoruniensis gravif-  
simis, Patronis suis summo ho-  
nore & obſervantia ad rogum  
usque colendis

*Seipsum & Inauguralem hanc Dispu-  
tationem maximo animi affectu &  
submissione ut aequum est ,*

Dat, dicat, dedicat

*Magnific. atque Amplitud. Vestrarum  
Cliens addictissimus.*

JOHANNES THEODORUS MEISNER.



## PROOEMIUM.



*Uanta in œconomia animali eva-  
cuacionum naturalium sit nece-  
sitas, ex harum contrariâ sup-  
pressione aut abolitione (multo-  
rum morborum matre) patet,  
dum teste quotidiana experientia*

*v. gr. Ex alvinarum fœcum diu-  
turniore retentione, intestinorum tormina & lan-  
cinationes oriuntur, abdomen in majorem molem  
extenditur, & duritiem satis sensibilem acquirit,  
cordis anxietates, nausea & singultus super ve-  
niunt, adeò ut nonnunquam etiam fœces alvinæ  
cum reliquis assumptis in morbo illo, uti notissimo,  
sic miserrimo Passio Iliaca dicto, vomitu per os  
deponantur. Ex urinæ suppressione serositates in  
corpo cumulantur, multaque corporis oriuntur  
mala. Spectant hoc etiam illa incommoda quæ*

mulieres à mensium suppressione percipiunt, nimirum ciborum fastidium, picam, nauseam, vomitum, tormina, fluxum alvi, dolores abdominis, dentium, capitis & lumborum, difficultatem spirandi, vertiginem &c. Nihil nunc dicam, de transpiratione insensibili & sudoris excretione suppressis, hæc enim non tantum morborum cutaneorum v. gr. scabiei &c. Sed humoralium quoque v. gr. Diarrhoearum &c. causæ existunt. Ut alia silentio prateream; sed fere omissem Febres, quæ non raro quoque ab his originem suam trahere, observationes Practicorum testantur v. gr. Horstii de Febribus obs. 2. & Amat. Lusit. Cent. 5. Curat. 81. Cum autem febrium harumque specierum tanta sit farrago, ita ut singulas earumque species cum causis pertractare breves hæ paginæ non permittant, unicum tantummodo ex his nimirum Febrem Catarrhalem Dissertationis Inauguralis loco exponere, eruditorumque examini subjicere decrevi. Faxit itaque Deus T. O. M. qui est fons sapientiae inexhaustus, ut ipsius auxilio omnia prosperè, tam in Divini sui nominis Gloriam, quam proximi salutem & emolumentum, cedant.

An-

§. 1.



Ntiquum & jam usu receptum est, primo  
& ante omnia evolvere morborum no-  
minum varietatem, & quæ singulis ho-  
rum competant, demonstrare ac probare.  
Hujus rei jamdum mentionem fecit ipse  
*Galenus lib. 2. Method. Med. cap. 1. In-  
spicienda*, inquit, *diligenter est nominum  
diversitas, quæ egritudinibus imposuerunt  
ipsorum primi auctores.* Cui *Scaliger Exerc.*

1. *Sect. 1.* adstipulatur, dicens: à nominibus provehimur in rei perceptionem. Cujus præceptum & ego observans, in enucleatione Febris Catarrhalis, partim Febris, partim Catarrhi Etymologiam & Synonymiam exponere, mei erit officii.

§. 2. Febris secundum Autores plerosque v. gr. *Sennert. L.*  
1. de Febr. & *Hoffman. Tract. de Febr. c. 2.*, derivationem suam  
habet à fervore, vel potius verbo ferbeo vel ferveo i. e. calore  
perfusus sum, quod Calorem aliquem p. n. & quasi æstum de-  
notat; Alii v. gr. *Willisius Tract. de Febr. c. 1.* à februo (pur-  
gamento quod etiam à ferveo derivatur) ortum hujus deducunt,  
quod nomen harum verum, eisque merito competere, allegatus  
asserit autor, probando sententiam suam per simile à musti effe-  
vescentia desumptum, simili enim modo, uti hoc à sordibus  
purgatur, sic quoque febrem fieri afferit. Alii aliunde deriva-  
tiones petunt v. gr. à Februis festo Romanorum, Febrio pisce  
&c. quos tamen ut minoris notæ, in præsens mitto. Placet  
mihi potius Græcorum denominatio, quibus Febris πυρετός ή  
πυρεζία, δηδο τε πυρός i. e. ab igne dicitur, vel quod vehemen-  
tem & summum calorem secum ferat. Facit cum his *Hippocra-  
tes* dum eam aliquando simpliciter πῦρ i. e. ignem appellat, ut  
videre est passim in *Lib. 1. Epidem.* Licet autem huic derivationi  
quidam autorum v. gr. Paracelsus, Helmontius & alii obstant,  
dicentes, calorem esse tantummodo effectum non autem causam  
seu ipsam Febris essentiam, eo ipso tamen meæ derivationi non  
contradicunt. Nam ego non dico calorem esse essentiam Fe-  
brium; sed saltè affirmo, Febrem optimè dici πῦρ, quoniam  
ut plurimum cum calore conjuncta existit. Præterea hi autores

huic derivationi objiciunt Febrem Leipyriam, cuius meminit  
*Sylvius Prax.* Lib. I. c. 29. item algidas illas juxta *Bontekoe de*  
*Febr.* & *Sylv.* l. a. c. 30. Belgis aliàs familiares, & Febres illas  
castrenses malignas, quæ ab *Helmontio de Febr.* c. 17. §. 10. ad-  
ducuntur. Verùm quod ad has attinet, hæc quidem probant,  
dari Febres absque sensibili calore, quod & ego non nego, in-  
terim tamèn quoniam hæ certæ tantummodo Februm existunt  
species, pluresque dantur, in quibus calor satis magnus & æ-  
stuans observatur, nullaque Mæ. Sæ. commotio p. n. (quam  
Febris essentiam nunc suppono) absque calore concipi posse, con-  
cludo hanc *Græcorum* derivationem esse optimam, quapropter  
& ab eorum stare partibus, haud vereor.

§. III. Non sufficit autem Febris evolvisse Etymologiam,  
sed instituti mei ratio quoque exigit, ut vocabuli adjuncti, *Ca-*  
*tarrhalis* nimirum, deducam natales. Græciæ autem hoc quoque  
originem debere, ejus derivatio ἀπὸ τῆς κατάρρειν (quod Latini  
exprimunt defluere, destillando descendere) &c. abundè nos do-  
cket. Supponebant enim Veteres, Catarrhos fieri per descensum  
ex capite ad partes corporis nostri inferiores. Cum autem hæc  
hypothesis utpote fculneis superstrata fundamentis, jamdum à  
*Carol. Pison. de morb. Seros. Helmont. Tract. Catarrb. Delirament.*  
§. 14. & seqq. ac *Schneid. de Catarrb.* l. 3. c. 6. &c. sit refutata, &  
ego hanc nominis derivationem mitto, illorumque sententiam  
potius amplector, qui vocabuli hujus originem, à Græco ποτε  
contractè ποτε (quod Latinis fluxus s. fluor audit) derivant; &  
quoniam talis fluxus seu fluor materiæ peccantis, in hoc morbo  
observatur, hanc nominis derivationem magis propriam ac con-  
gruam esse concludo. Quibus autem hæc derivatio non arridet,  
ex variis, quas *Rolfinck. de affect. cap. particul. Dissert.* 12. de  
*Catarrb.* p. 2. hujus vocabuli derivationibus & acceptionibus,  
aliam ac meliorem pro lubitu sibi eligere potest.

§. IV. Visâ Etymologiâ tám Febris, quâm Catarri, utrius-  
que nunc Synonymiam addere placet. Febris dicitur aliàs τήψεις  
ac si diceret habitus seu dispositio ignea vid. *Galen. lib. de caus. morb.* c. 2. & teste *Helmontio Tract. de Febr.* c. 1. §. 15. Calor Fe-  
brilis Scholis audit. Belgis vocatur *Hoozts* / Germani verò eam  
à frigore ipsi combinato nuncupant *Das Italte*. Non paucis  
etiam

etiam nominibus gaudet Catarrhus, dum Latinis Destillatio, Defluxus, Rheumatica affectio, Rheumatismus, Græcis *narrīp-*  
*po* & *narrīpē* & *narrīppō* dicitur. Germanis *Der Flus*, unde  
affectus iste, unico verbo Febris Catarrhosa seu Catarrhalis,  
item Catarrhus Febrilis, Febris suffocativa, Catarrhus Epidemius,  
item Febris lymphatica, glandularis, de qua *Sylvius Prax.*  
*Med. l. i. c. 21. §. 6.* videatur, vocatur. Dicitur quoque Febris  
erratica, quoniam nullum certum observat tempus, Germani  
exprimunt *Das Flusfeber*, item interdum abusivè quoque  
*Flüzigefieber.*

§. V. Præmissa terminorum explicatione, ut tandem in morbi nostri pleniorum notitiam veniamus, subjungenda erit ipsa Febris definitio. Profertur illa à variis autoribus variè. Veteres enim Febrem Catatrhaem definiebant per calorem corporis p. n. continuum, conjunctum cum defluxionibus è capite cerebroque in subjectas corporis partes, dependentem à vaporibus è partibus inferioribus ad caput elevatis, ibidemque in humorem seu aquam condensatis & resolutis. Quoniam autem Febrium essentiam seu formalitatem non in calore consistere, à *Sylvio de Febr. Disp. 1.* §. 13. *Helmont. de Febr. c. 1. §. 4.* *Rolfin. de Febr. in gen. c. 33.* *Piens l. a. p. 6. 7. &c. ac Bontekoe p. 7. & 8.* demonstratum sit, hæc hoc loco repetere superfluum esse, judico. Nec defluxiones è capite cerebroque in subjectas partes Febri Catarrhali conjunctas esse, veritati consonum est, ut id industrius ille per ignem *Mysta Helmont. Tract. Catarrh. delirament.* passim refert. Pariter vaporum ex partibus inferioribus ascensum ad caput impossibilem esse, idem *Helmont.* Vaporistarum argumenta (ut aniles fabulas) rejiciens l. a. clarè demonstrat ac scribit. Cum itaque ex dictis hactenus satis superque appareat, definitionem, quam Veterum Scholæ Febri Catarrhali tribuerunt, mancam satis ac infirmam esse, meritò hanc linquo, talemque si non accuratam planè, certè probabiliorem sequentem pono: Febris Catarrhalis est p. n. quædam commotio seu agitatio lymphæ, modò ab hujus fluiditate nimiā, modò visciditate, cum aliquali acrimoniam conjunctam, modò à glandularum laxitate aut constrictione nimiā oratum ducens, ac dependens.

§. VI. Ordo instituti mei nunc *subjectum* seu *partem affe-*  
*ctans*

etiam mihi considerandam sistit. Melioris autem distinctionis gratia hæc mihi duplex erit, vel primaria, vel secundaria. Primariam *Lympha* cum glandulis constituunt. Secundariam vero (respectu Febris) totum corpus erit nominandum. Glandulas in Febre Catarrhali affici, probatione vix ac ne vix quidem egere existimo, testantur id autorum testimonia v. gr. *Stenon. Specim. de Gland. l. c. p. 41. & 46.* dicentis: quoque corporis loco aquosus quidam naturaliter reperitur humor, eundem ab illius partis glandulis oriiri, & sic glandulas Catarrhorum esse fontes existimat. Lympham vero in Febre Catarrhali pati, edoceor, quod ægri de talibus conquerantur symptomatibus, quæ lymphæ vitiis veniunt accensenda. Et ut omnia nunc non adducam, pro scopo meo probando, sufficit *Coryza* & *Tussis* humida, quæ (cum aliis symptomatibus, de quibus inferius differentiabitur occasio,) valde molestant Febre Catarrhali laborantes. Partem autem affectam secundariam (respectu Febris) in Catarrhali Febre, totum corpus esse, nemo pariter in dubium vocabit; Præterquam enim quod Febris juxta Recentiorum dogmata; sit morbus universalis, huc etiam facit, quod lympha, una cum sanguine ad omnes totius corporis nostri fluat partes, inque his, si non omnibus, certè earum plurimis secernatur; hinc si vitiosa, vitium hoc toti corpori affricet, uti id pariter symptomata Febri Catarrhali juncta v. gr. horror, calor, dolores capitis, item paroxysmi Arthritici (quos *Sylv. Tratt. VIII. §. 33.* Febribus Catarrhalibus semper combinari, secum aliis observasse, scribit) satis superque confirmant.

§. VII. Explicata parte affecta, nunc cause Febris Catarrhalis erunt investigandæ & emendandæ; his enim benè examinatis cognitisque, cura facilitiori negotio institui poterit. Erunt hæ mihi vel proxime vel remote; Proximarum nomine veniunt *Lympha* modò acrior & fluidior (seu uti *Sylvius* eam vocat muriatica) modò viscidior acrimoniam conjunctam habens, cum glandulis. *Lympha* acriorem ac fluidiorem causam Febrium Catarrhalium proximam existere, & ratio & experientia docet. Quod ad priorem attinet, video, quod nonnulla symptomata Febri dictæ juncta, à lymphæ acris & acidioris vitio (licet hujus acredimen nonnulli v. gr. *Goubert. de Febr.* non admittant, humoresque

que Catarrhales planè insipidos ac dulces , contradicente nihilo minus experientiâ , pronuncient ) dependeant: Hæc enim ( ut de sapore falso ac acri quibus se produnt , verba non faciam , ut pote quod fusius Rofinck de affect. cap. part. *Dissert. de Catarrh.* p. 1. & 8. explicit) glandulas , membranas , tendines , ac nervos cum vasis corporis nostri stimulando , Coryzas , Tusses humidas , Dolores artuum , Capitis , Horrores &c. producit. *Vid. Sylv. Prax. l. 1. c. 27. & 29. §. 8. 10. 11. &c.* Quoad experientiam autem omnes ferè Practici Febrium Catarrhalium origines à lymphæ copiâ , acrene ac fluiditate derivant , prout id ex inspectione & evolutione v. gr. *Willisi de Febr. c. 17. & Etimuller. Colleg. Consultat. Cas. VII. de Catarrho Epidemico* sufficienter constat. Nonnunquam etiam Febres Catarrhales lympham viscido-acrem pro causâ agnoscere , ut alia nunc non adducam , pariter symptomata hinc Febribus conjuncta , abundè docent. Hinc videamus quod patientes de subitanea conquerantur incalefcentia , mox remittente , ac redeunte , de appetitu prostrato , de nauseâ , saliva viscosa , tenaci ac lenta in fauibus ac naribus hærente , de somno turbulento , imò nonnunquam copiam materiæ viscidae pituitosæ vomitu rejiciunt , quæ symptomata recensita lymphæ viscido-aci suas debere natales , unicuique in scriptis Recentiorum leviter saltem versato facilè apparebit.

§. VIII. Non minori culpâ glandulas lymphæ secretioni dicatas in Catarrhali Febre producendâ , vacare ( harum usu à Warthono , Stenone ac Malpighio detecto , & vasis lymphaticis à clar. Rudbeckio aut Bartholino primum inventis ac demonstratis ) docuerunt recentiores autores , præprimis verò *Helmont. Tract. Catarrb. Delirament. & Schneid. passim de Catarrhis.* Symbolum autem suum huc glandulae conferunt dupliciter : vel quatenus ductuli earum nimis constringuntur , vel quatenus hi præter modum laxantur. Prius si contingit , lymphæ motus retrogradus impeditur , ob harum obstructionem , quatenus cum lymphâ has appellit , in harumque ductibus exilissimis , ob eorum nimiam constrictiōnem , aut sui ipsius visciditatem hæret , Catarrhisque ansam præbet. Posterior autem fit , si lympha ad partem aliquam , in cuius vicinitate glandulae lympham fundentes sitæ sunt , alluit , hasque acrimoniam suâ stimulando ad copiosiorem secretionem irritat , quo facto major oritur lymphæ af-

B

fluxus,

fluxus, glandulæ harumque ductus plus lymphæ recipiunt, ab hâc dilatantur, ita ut secretio earum, hinc motus celerior evadat, Febribusque Catarrhalibus occasio subministretur. Docent hoc artificiales fluxiones per apophlegmatizantia, errhina & sternutatoria concitatæ, quatenus enim hæc glandulas harumque ductulos cum nervis irritant, causa sunt majoris humorum afflūxus, ac per consequens frequentioris lymphæ excretionis. A quibusnam autem causis glandulæ modò constringantur, modò laxentur, patebit ex sequenti causarum remotiorum enodatione.

§. IX. Sicuti causas proximas feci duplices, ita & remotæ mihi duplices erunt, nimirum illæ, quæ lympham reddere possunt fluidorem ac viscidio-acrem, & illæ quæ glandulis vitium affricare queunt. Prins conciliant, omnia illa, quæ motum hujus nimis promovent, serum in toto augent, particulæque lymphæ gelatinosas absumunt. Ex rebus naturalibus huc facit secundum Veteres temperamentum frigidum & humidum, quod Recentiores per cumulum humorum acrionum ac viscidiorum explicant; his enim si particulæ salinæ combinantur, facilè p. n. oritur effervescens morbisque Catarrhosis ansa subministratur. Atas hue spectat puerilis utpote quæ præ aliis (licet harum nulla excludatur) multa lympha abundat. Senilis quoque atas huic malo obnoxia ob lympham viscidorem, quæ in eorum corporibus ob debilem ventriculi digestionem generatur. Sexum quod concernit, viros præ fœminis magis hoc affectu corripi, deprehendimus, quod forsan vixtus rationi erit adscribendum, cum viri crapulæ ac inordinatae diætæ magis indulgeant ac fœminæ, hincque humores in corpore crudos cumulent; fœminæ è contra licet eosdem incurvant diætæ errores, nihilominus tamen superfluae has serositates per menses ex cernant. Ex sex Rebus Nonnaturalibus se sistunt: (1.) Aér si tenuis nimis, astuans, frigidus, aut pluviosus existat: priori enim modo constitutus motum humorum intendendo particulæ gelatinosas absumit, hincque aquosum reliquit lympham; si frigidus observatur, cutis poros coarctat, vasorumque capillarium ramos constringit; hinc diaphoresis impediendo, humoribusque nostris sese miscendo, hos ad p. n. motum febrilem disponit, ut id videmus in illis, qui aëris frigidioris injuriis multum sese exponere coguntur, hinc-

hicque præ aliis, Catarrhosis affectibus sint obnoxii. Si postiore facie gaudeat, multas particulas acres ac aquosas, humoribus nostris communicando, eos ad fluiditatem ac acredinem disponit. Quod autem aër tali modo constitutus nonnunquam potens sit symptomata Catarrhalia producere, jamdudum docuit ipse Hippocrat. sect. 3. aph. 13. si autumnus, inquiens, pluviosus fuerit & australis, capitis dolores sunt, & tuses, & raucitates, & gravedines. Docentque insuper Febres Catarrhales Epidemicæ à Foresto l. 6. obs. 3. Willif. de febbr. & Ettmullero Collig. Consultat. l. a. observatæ ac descriptæ. Nonnunquam autem aër quatenus aër, ad Febres Catarrhales producendas nihil contribuit, sed quatenus miasmata maligna in se continent, quæ una cum aëre inspiratione attracta, Massæque nostræ Sanguineæ communica, has cum symptomatibus, non raro lethalibus, gignunt. Quales malignitatis participes non pauci autorum annotarunt v. gr. Mercatus, Wierus, Forestus, Bokelius & alii, quorum observata huc adducere, neque pagellarum harum augustia, neque instituti mei permittit ratio. Ex alimentis (2) symbolum suum conferunt, omnia illa, quæ humidiora, hinc potus quoque copiosior, utpote quæ non tantum serositates in corpore cumulant, sed & quoniam particulis gelatinosis paucissimis gaudent, serum fluidius ac acre efficiunt; sunt verò talia v. gr. pisces, fructus horarii, omnia sale condita & fumo indurata ac exsiccata &c. Motus huc (3) pertinet, si frequentior & nimius, quatenus per hunc globuli lymphatici, magis magisque diminuuntur, hinc lympha tenuior ac acrior evadit. Unde Montanus lib. de Morb. Part. Consil. 100. fœminæ exemplum adducit, quæ à nimio saltationis motu Catarrhum cum Febre continuâ incidit. Eandem ob causam & (4) Vigiliae nimiq., huic nostro malo an-sam præbent. Ex excretis & retentis (5) omnes evacuationes naturales v. gr. Urine, transpirationis, sudoris, cohibitæ, im-minutæ aut suppressæ &c. In sexu sequiori mensium, & in asuetis hæmorrhoidum fluxus suppressio, ob causam superius dictam, veniunt accusandæ. Tandem & (6) ex animi pathematis omnia illa, quæ motum humorum nostrorum intendere, augere, exasperare, ac turbare queunt, qualia sunt v. gr. amor ac gaudium nimium, ira excedens &c. quâ juxta Scherbiūm nihil sub sole vehementius humores commovet. Ex rebus præ-

ternaturalibus ad accersendas has febres plurimum valent, inediæ diuturniores, & omnes illi morbi, qui à lymphâ acri & fluidiori dependent v. gr. Scorbutus, Arthritis &c. Quenam autem ex Rebus nonnaturalibus lympham nostram viscidam reddere queunt, hoc loco brevitati obtemperans, pluribus repetere nolo, unico verbo, præstant hoc omnia alimenta viscidiora v. gr. pisces &c. aër frigidior humores nostros particulis suis acidioribus coagulando. Somnus & quies nimia, omnia excreta diutius retenta; à quibus tandem ex animi pathematibus miceror & tristitia non erunt excludenda.

§. X. Sequitur nunc enucleandum posterius, h. e. modus quo glandulæ modò constringuntur, modò laxantur; Constrictionem harum juvant humores in corpore acidiores & austeri, aut viscidiores in glandulis stagnantes, harumque bubones aut tumores excitando, lymphæque motum impediendo, Catarrhales producunt affectiones, quo pertinet quoque aër frigidior qui corpus nostrum premendo, glandularum quoque ductulos comprimit, ita ut hi lympham recipere nequeant, hinc stagnantem relinquant; docet hoc quotidiana experientia, qua constat, quod nonnunquam illi præprimis, qui Catarrhis obnoxii, præsertim si capite denudato sedeant aut incedant, à frigido aëre Coryzas, Raucedines, Tusses, imò & lacrymarum non raro copiosorem effusionem sentiant. Laxitati autem glandularum p. n. humores in corpore copia excedentes, aut affluxus horum copiosior occasionem submistrant. Hi enim si in magnâ copiâ affluent, glandularum ductulos horumque fibrillas, (nimium harum tonum laxando) distendunt, hincque celeriori secretioni, ac per consequens insultibus Febrium Catarrhalium, occasionem subministrant.

§. XI. Diagnosin affectus nostri determinare, vix opus esse censeo, cum per se satis pateat, ac ex symptomatibus huic combinatis, facilè à prudentibus cognosci queat medicis, ut tamen mori hactenus in scholis recepto, obtemperem, nec mea disputatio etiam quoad hanc partem manca videatur, paucissimis hanc tradam. Erit autem mihi Diagnosis, quo clarior fiat, triplex, nimirum vel Febris imminentis, vel præsentis, vel declinantis. Diagnostica Febris imminentis signa sunt: sensuum torpor, lasitudo spontanea, perturbatio capitis, gravedo, horror & refrigeratione.

geratio dorsi , ut & extremitatum digitorum , calor levis , mox remittens , mox rediens , ut & dolor gravatus musculosum genus , artus ac dorsum præprimis corripiens . Præsentem è contra Febrem Catarrhalem monstrant : calor vespertino tempore ingravescens , mox continuus usque ad medium noctem factus , circa hanc v. remittens , nunquam verò in totum intermittens , sed singulis horis vespertinis cum intensissimâ siti , inappetentiâ , nauseâ , pulsu frequenti , celeri ac aucto , dolore capitis ac artuum vehementi , tussi molestissimâ , pectoris angustia , dolore ac respirandi difficultate haud levi , sub sequente mox Raucedine , Coryzâ , &c. Urina intensius rubra apparet , quibus sèpè numero hæmorrhagiam narium , sputum cruentum , vel alias dejectiones sanguinolentas à *Willisio l. a.* & *Bokelio Synop. Catarrh. Febril. c. 4.* circa has Febres , in primis autem Epidemicas ob servatas , cum aliis Februm ac Catarrhorum symptomatibus accen seri licet , exacerbatus ac recrudescens , & hæc signa in nonnullis , aliquando ferè omnia adsunt , interdum verò per intervalla modò breviora , modò longiora se excipiunt . Declinantem verò Febrem Catarrhalem innuunt , omnium symptomatum remissio , lymphâ tâm per nares quam tussim excreta , hactenus que fluida , nunc crassescens . Urina turbata ac sedimentum deponens , ac diaphoresis paroxysmum finiens , imò nonnunquam Febrim judicans .

§. XII. Quod ad prognosin attinet , notandum , Febres has omni per se carere periculo , nisi has error aut à paciente in Diætâ , aut à Medico in curatione commissus , aut cacheœtica quædam ac prava patientis dispositio , non raro periculosiores , aut planè reddat lethales . Porro & hæc Febres Catarrhales quæ maligna conjuncta habent symptomata , v. gr. Asthma convulsivum , sanguinis dejectiones , virium imbecillitatem , aliis esse pejores . *Willisius & Ettmüller l. cit.* confirmant . Nonnunquam & illæ quæ Epidemicæ , hinc contagiosæ existunt , illos , quos affixerunt , ut naturæ debita solvereat , coegerunt .

§. XIII. Sicuti autem non sufficit , morbi naturam , essentiam , causas , diagnosis ac prognosin explicare ac enodare , sed Medici officium insuper est , ut de curâ morbi ægrum molestantis , sit sollicitus ; Ideoque ut & ego intentioni meæ satisfaciām , quæ circa curam Febris Catarrhalis monenda veniunt , paucis an-

nectam. Cum autem varias superius Febris Catarrhalis ostendim causas, ideoque pro harum differentiâ, cura quoque erit instituenda. Potest autem hæc, secundum has peragi indicationes : I. Lympha fluido-acrior temperetur. II. Lympha viscido-acrior attenuetur ac incidatur. III. Lympha temperata & incisa evacuetur. IV. Glandularum vitia corrigantur. V. Symptomatisbusque Febri Catarrhalis junctis aptis remedii occurratur.

§. XIV. Primæ indicationi per medicamenta alcalica, (hæc enim spicula lymphæ fluidioris ac acri in se suscipiendo, hanc ad statum naturalem pristinum reducunt) obviam ire licet. Sunt autem talia, omnes partes animalium duræ præparatæ, v. gr. ocul. cancer., C.C. sign., dens equi marin. castor. apri, mandibul. lucii pisc., cran. human. &c. item Salia volat. eorum. v. gr. Liq. C. C. succinat. Spir. C. C. simpl. spir. urin., Sal. armon. quibus ex composit. Tinctur. Corall. c. spir. C. C., Essent. castor. & pulv. Marchion. antepilepticus jungi potest. Quibus ex regno vegetabili herb. salv. serpill. beton. cent. min. card. bened. lignum sassafras, Rad. chin. sarsaparill. &c. & ex his composita medicamenta addi possunt. Ex regno minerali Antimon. diaphor. cum Marte, bezoard. min. Sylv. flor. sulph. Cinab., limat. Mart. croc. Mart. aperitiv. Crocus Mart. c. Salib., hic laudem merentur. Ex Marinis corallia, conchæ & perlæ præparatæ cum succinatis prosunt. Et hæc medicamenta recensita pro Lympha fluidiori ac acri temperandâ, sufficiunt, possuntque ex his pro lubitu patientis ac Medici, nunc composita, nunc simplicia in usum vocari ac præscribi.

§. XV. Altera curæ indicatio in lymphæ viscidæ correctione consistit. Hæc autem ejus attenuatione perficitur, quam omnibus medicamentis Sale acri incidente & attenuante gaudentibus, obtinebimus. Sunt autem talia v. gr. cochlear. nasturt. arum &c. harumque composita, Salium quoque volatileiorum v. gr. C. C. fuligin. &c. & fixorum v. gr. arcan. duplicat. Mysicht. Tart. vitriolat. sal. fumar. &c. usus nulli quoque medicamento cedit. Præterea intentioni nostræ inserviunt, omnia salia volatile dulcia seu per spiritum vini dulcificata v. gr. Spir. Sal. armoniac. dulc. Liqu. C. C. succinat. Spir. C. C. fuligin. &c. Ex regno minerali conducunt superius recensita remedia.

§. XVI.

§. XVI. Quoniam autem non sufficit lympham corrigere, sed  
præterea requiritur, ut noxi illi & præcipitati humores è cor-  
pore eliminentur; ut itaque tertiam hanc obtineamus indicatio-  
nem, medicamentis evacuantibus opus erit. Hæc autem nobis  
tām ex fonte Chirurgico, quām Pharmaceutico subministrantur.  
Chirurgica inter auxilia primo sese offert V. S. quæ an in Fe-  
bre Catarrhalī conveniat, autores inter se non convenient, dum  
alii eam proficiunt, alii cum vitæ discrimine institutam fuisse,  
pronuntiant. *Sennert. de Febr. l. 4. c. 17.* Febris Catarrhalis  
Epidemicè 1580 grassantis mentionem facit, ubi quibus vena  
fuit secta omnes interierunt, ita ut ultra 2000 hominum Romę  
naturæ solverint debita. Verum res omnis periculo caret, &  
nonnunquam magno cum fructu V. S. administratur, si modo  
mos morbi, aliæque circumstantiæ non repugnant i. e. si vires  
adhus adsint, nec corpus sit cacoehymicū, aut malignitas ali-  
qua Febrem comitetur, qualis forsitan illis combinata fuit Febrī-  
bus, quas *Sennert. l. c.* describit. Quoniam itaque V. S. in  
Febrībus Catarrhalibus institutā, non tantummodo vasa sanguī-  
ne turgida, deplentur, hinc æstus Febrilis serique exæstuantis ac  
ebullientis orgasmus sedatur, impetuosiorque affluxus ad partes  
inhibitetur, ita, ut nonnunquam Cephalalgia, Angina, Suffo-  
cationis & aliorum symptomatum maximè urgentium præsentis-  
simum existat V. S. remedium, meritò concludimus V. S.  
Febrībus Catarrhalibus optimè convenire, testante hoc Practico-  
rum celeberrimorum experientia. Sic v. gr. *Ballon. in obs. ejus*  
usum admittit & *Bokelius c. 17.* V. S. magno cum auxilio in  
Febrībus Catarrhalibus administratam fuisse, sinistrum verò even-  
tum intempestivæ & promiscuæ sectioni adscribendum, existi-  
mat. De usu ejus adhus notetur, quod præstet eam esse parcio-  
rem, quām liberaliorem, ne sanguinis, utpote partis corporis  
nostrī adeò nobilis ac necessariæ, inutilior fiat profusio. Tem-  
pus morbi, quo V. S. instituenda, illa quæ primis statim die-  
bus fit, convenientior habetur; Quamvis eam, *Willisius l. a.*,  
& in morbi augmento, si humorum commotio maxima, hinc  
æstus ac fervor cum vigiliis immanibus adsint, denuò repeten-  
dam esse, suadeat. Reliquorum Chirurgiæ præsidiorum ope-  
rations, cum tardiores sint, hinc sensibile adeò auxilium vix  
afferant, huic non pertinent, nisi forsitan quis cucurbitulas in  
usum

usum (ob virium nempè imbecillitatem) vocare velit. Praeservationis gratia nonnulli fonticulos suadent, quorum quoque usus non contemnendus erit.

§. XVII. Visis auxiliis Chirurgicis, Pharmaceutica nunc proponenda erunt remedia quę ad evacuationem præstandam videntur necessaria. Erunt hæc mihi duplia, vel universalia vel particularia. Universalia, Febri Catarrhali congrua, vel per alvum ac intestina, hincque purgantia; vel per habitum corporis, vitiosas superfluitates feroſas evacuant, indeque sudorifera dicuntur. De purgantibus h. l. quæritur, num patientibus Febre Catarrhali correptis, convenient? Pro responsione notetur, purgantia vallidiora Febre Catarrhali jam præſente non indicari, his enim adhibitis periculum foret, ne materiae jam turgescens motus violentior reddatur, hincque morbus per superiorius recensita medicamenta temperantia ac alterantia in tautum sedatus, de novo recrudescat. Præſtat itaque laxantia mitiora adhibere, cum hæc plus efficiant fortissimis, minorique cum periculo adhibeantur, testantibus hoc & quotidiana experientia & Practicorum haud infimorum, observationibus. Uſum horum quod concernit, notandum, quod hunc ſemper prægredi debant, medicamenta alterantia ac præcipitantia, docente hoc ipſo *Hippocrat. Sect. 1. aphor. 22.* Quod ad ipsa autem medicamenta laxantia attinet, pro lymphā fluido-acri educendā v. gr. rhabar. fol. senn. mañn. Calabrin. mechoacan. alb. syr. rosar. solut. Maff. Pil. de succin. Craton. crystall. Tartari &c. convenient. Pro lymphā autem viscido-acri (ſi hæc affectus nostri cauſa) mechoacan. agar. fol. senn. helleb. niger & omnia gummosa v. gr. Pill. aloëphang. de Gum. ammon. &c. conducunt. Purgantibus annumerantur quoque vomitoria, quorum virtus egregia in evacuandā materiā viscidā primis viis inherente, ſatis laudari non potest, hinc & illa in nostro affectu convenire, non ſine ratione concludo, preprimis cum ipſa natura ad horum uſum quaſi manu ducat, indicante hoc patientium nauſea, hincque ad vomitum inclinatione. Medicamenta hunc efficientia ſunt Tart. emet. item ex vitriolo parat. ut & ſuccus ſquillę expreſſus, ejusque syr. &c. Progreſdior nunc ad medicamenta vitiosas feri ſuperfluitates per habitum corporis evacuantia diaphoretica ac sudorifera dicta. Horum virtutem egregiam in depurandā M. S. & Febribus compescendis pro merito

merito laudare ac describere pagellarum harum exiguum spatum non concedit, quamobrem L. B. ad Practicorum remitto volumina. Sufficiat hoc loco paucis, medicamenta, quæ tām pro lymphā fluido-quam viscidio-acri educendā, conducunt, referre. Priori scopo inserviunt spir. C. C., Sal. ammon. liqu. C. C. succinat. Bezoard. miner. Solar. Lunar. Antimon. diaph. Eff. Lignor. & omnia theriacalia &c. Quibus pro Scopo posteriore acquirendo addi possunt: Decocta Lignor. quajac. sassafr. juniper. rad. chin. farsaparill. contrajerv. quibus omnibus pro symptomatum ratione opiate nunc combinari, nunc omitti possunt. Sic enim unā fideliā duo dealbari possunt parietes, nimirum sudoris evacuatio promoveri, & symptomatibus urgentibus occurri.

§. XVIII. Nunc de particulariter evacuantibus, quorum mentionem *Theſeſ anteved.* feci, dicendum restaret, cum autem commodior in symptomatum curatione mihi, de his differendi subministrabitur occasio, rem eousque differre cogor, progrediorque ad indicationis quartæ pertractionem & quomodo ea obtinenda, demonstratus sum.

§. XIX. Glandularum itaque vitio, si Febris Catarrhalis oriatur, illæ quoque erunt corrigendæ; quemadmodum autem has dupliciter peccare (vel dum nimis arctantur vel dum nimis laxantur) superius innui: ita quoque Therapia harum duplex erit. Sin obstructio earum in causa, hanc medicamenta incidentia, aperientia, & resolventia, solvunt, è quorum numero sunt. Herb. melilot. matricar. cent. min. & maj. nasturt. aquat. fumar. scabios. card. bened. puleg. rut. prunell. taraxac. absinth. fl. bellid. papav. rhead. cyan. sambuc. &c. Rad. carlin. imperat. gentian. &c. Ex seminibus ſcenicul. anis. aquileg. urtic. maj. &c. Crocus, gum. ammoniac. myrrha, mastich. rhabarb. antim. diaph. ſimpl. & Martial. bezoard. Martial. & miner. Spir. Sal. ammon., quibus addi possunt sudorifera, superiorius recensita. Posuntque ex his pro lubitu Medici variaz componi formulæ v. gr. Decoct. effent. Vin. Medicat. &c. Non minorem vim in glandularum obstructione solvendā habent, suffitus naribus aut ore excepti v. gr. ex succin. Mastich. (quali suffimiglio *Barbett. Prax. l. i. c. 4.* uxorem suam Catarrho laborantem absque ulla purgatione, feliciter curatam refert) tacachamac. thure, benzoë, majoran. serpill. roremarin. gum. anim. oliban. &c. In Catarrhis ex lympha viscidâ oriundis idem *Barbett. l. c.* suffitum ex aceto ferro ignito adsperso commendat. Prodest etiam spir. Sal. ammon. odor naribus haustus. Harum autem laxitati è contra succurrentum sub adstringentibus, blandè aromaticis, porosque contrahentibus, talia sunt: Herb. millefol. anferin. burs. pa-

stor. hyperic. alchimill. &c. sem. acetos. plantag. Rad. tormentil. bistort. agrimon. chin. ribes. berber. fruct. acac. mal. cydon. cinam. bol. Armen. Terr. sigill. catechu. sangv. Dracon. C. C. ebur. Tinctur. lap. hæmat. corall. horumque composita v. gr. Tinctur. Essent. decocta &c. quæ pro cuiusvis arbitrio ac morbi indicatione præscribi ac propinari queunt.

§. XX. Restat quinta indicatio quæ in symptomatum cura aut mitigatione consistit. Hæc quidem morbo curato facile cedunt, si tamen non remittant, his pariter per medicamenta cuilibet horum appropriata occurrentum erit. Ex symptomatum autem affectui nostro combinatorum numero (1) se fiant: *sensuum Torpor. Lassitude cum dolore capitis*, quibus temperantia jam memorata & cephalica cum anodinis mista, medentur. Inter cephalica eminent Herb. serpill. salv. basilic. majoran. hormin. meliss. menth. &c. Flor. till. aurantior. lill. convall. rosar. &c. Cinamom. cardamom. Caryophill. Maces. Nux Moschat. cubeb. storax. mastich. &c. exque his composita v. gr. aquæ destill. spiritus. olea & balsam. Apoplect. vertici inuncta aut naribus illinita, item Spir. Sal. ammon. odor naribus attractus, ut & ratione torporis omnia illa quæ spiritus excitant. Pertinent huc etiam Emplastr. de beton. nervin. cephalic. quod Schroed. Pharm. l. 2. c. 53. describit, quæ cum ol. succin. malaxari, & capiti imponi possunt. It. cucuphæ ex speciebus aromat. & nervinis, quarum formulas in dispensatoriis medicis videre licet. Anodynorum nomine salutantur sem. aneth. papav. alb. coriandr. flor. lill. alb. papav. rheum. verbasc. sambuc. crocus. sulph. lycopod. camphor. opium. succin. castor. ol. nuc. moschat. express. Cinab. Antimon. & nativ. unde specif. cephal. D. Mich. &c. quibus tamen omnibus si non præferenda, certè palmam dubiam reddit Essent. opii secundum Langelottum parata.

§. XXI. Sequitur (2) *Horror ac frigus*, quibus etiam quantum possibile succurrentum, medicamentis temperantibus cum opiatis ac theriacal. mistis, quales sunt illæ mixturae *Sylv. Prax. l. 1. c. 29. §. 52. & c. 30. §. 133. & §. 143.* descriptæ ac commendatae, ubi singularem in primis ol. caryophill. vim in temperando horrore ac frigore autor de predictat, quibus adde Salia enixa v. gr. arcan. duplicat. Mysicht. Sal. ammon. Tart. vitriolat. Sal. absynth. cent. min. card. bened. &c. quæ cum supra dictis temperantibus mixta notabiliter horrorem imminuunt, & subsequenti calori quasi præveniunt.

§. XXII. *Horrorem* (3) excipit *Calor nimius* quem similia medicamenta temperantia & præcipitantia cohibent, humorumque motum auctum sopiunt, quibus addenda salia volatilia v. gr. suecin. C. C. spir. C. C. simpl. & succinat. ac omnibus aliis palmam præripiens spir.

Sal.

Sal. ammon. &c. quo pertinent & omnia illa quæ *Sylv.* *Prax.* l. i.  
c. 29. §. 4. &c. commendat. It. Tinctur. *Sylv.* rosar. quam *Prax.* l. i.  
c. 28. §. 20. describit, ejusque vires egregias in temperando estu  
sanguinis miris extollit laudibus.

§. XXIII. Sitis quæ (4) se offert, qualitate acri correcta, remittit.  
Sin autem non remittat, sed adhuc urgeat, medicamenta nitrata ac  
acidiuscula v. gr. succ. acetos. citri, syr. jujub. rib. granat. spir. nitr.  
dulc. ol. sulphur. per campan. & cum his parati julepi &c. it. ea, quæ  
*Sylv.* *Prax.* l. i. c. 29. §. 47. & c. 30. §. 146. prescribit convenienter.  
Pertinent huc decoct. Tamarind. c. passul. ex commendatione *Ett-*  
*mulleri* in *Prax.* præ ceteris autem prodest lac ejusque serum, acri-  
moniam egrediè temperans, sitimque extinguiens, hâc tamen ad-  
hibitâ cautelâ ut parcus hęc assumat eger & ab his sibi caveat ur-  
gente frigore, eo enim tempore melius est, aquâ simpl. aut cum  
tantillo lap. prunell. mixtâ, os colluere, quam potum assumere,  
vid. *Sylv.* l. a.

§. XXIV. Artuum dolores horumque debilitates qui (5) numero  
symptomata replent, per laudata superius temperantia cum anodynis  
mista, item antiscorbutica v. gr. cochlear. nasturt. synap. perficar.  
chelidon. min. rad. raphan. armorac. &c. harumque composita v. gr.  
Essent. spir. &c. curantur. Huc referendi quoque liqu. Terr. foliat.  
Tart. spir. Sal. ammon. tam pro scopo interno, quam externo, cui  
addi merentur spir. lumbr. terrestr. formicar. Spir. vin. camphor.  
omnesque spiritus sulphurei cum aromatibus impregnati, quibus  
semper *Sylvii* opiate suaſſa oleosa ac opiate combinari queunt. Suffitus  
quoque (de quibus superius actum est,) imprimis autem ex saccharo  
qui cum linteis excipientur, partique affecte applicentur, condu-  
cent. Nec caplasnata omittenda, imprimis illud *Sylvii* quod pro dolo-  
ribus omnibus arthriticis demulcendis ac leniendis. *Prax.* l. i. c.  
30. §. 116. proponit.

§. XXV. Tussi ac raucedini (6) obviam ire licet, per medicamenta  
primo temperantia & incidentia superius memorata, quibus bechica  
adjungi possunt. In usum quoque vocari possunt spir. Carminativ.  
*Sylv.* & *Salia* volat. oleosa v. gr. spir. sal. ammon. annisat. &c. (quo-  
rum usum *Wedel. Opiolog.* l. 2. ſett. 2. c. 3. de predictat) mista. Deinde  
incrassantia v. gr. gum. Arab. thus, storax, tragacanth. sperm. Cet.  
juscula avenacea & decoct. hordei, adhibeantur.

§. XXVI. Denique (7) si *Coryza* adfuerit, applicentur talia me-  
dicamenta, quæ irritationem ab acrimonia lymphæ ortam minuunt,  
usque dum materia coactafuerit, cui scopo mucilag. ſem. cydon. tra-  
gacanth. &c. cum oleis destillat. cephal. v. gr. majoran. serpill. laven-  
dul.

dul. &c. mista, inserviunt. Quibus balsam. Peruvian. it. suffitus ex succin. gum. anim. Mastich. qualem *Barbetti*. in *Praxi de Catarrhis* commendat, annumerari queunt. Sin *Gravedo* molestet, oleum ac balsam. serpill. succin. Apoplect. &c. vertici ac fronti inungi aut naribus immissa, it. spir. Sal. ammon. odoræ naribus haustus, conducunt.

§. XXVII. Quoniam autem non sufficit, bona adhibere medica menta, sed Diæta accurior plus præstat aliquando ipsis medicamentis, imò eâ neglectâ cætera frustra adhibentur; Itaque quæ circa hanc dicenda, paucis expendam. Vitetur ante omnia aër frigidus, æstuosus & pluviösus, commendatusve sit temperatus minus que nebulosus. Cavendum præterea à subita mutatione aëris seu hic fiat calidior s. frigidior vid. *Hipp. sect. 3. aphor. 1.* Cibi & potus sint parvi ac tenues quales omnibus affectibus Catarrhosis competere *Hercul. Saxon.* asserit, & experientia docet. Abstinendum è contrario ab acribus aut illis quæ difficilioris sunt coctionis, item salis, fumo induratis, acidis atque frigidis, ut & à potu caput replente, qualis est spirit. vin. vinum &c. Assumantur verò cibi nutrimenti parcioris adstipulante *Hipp. sect. 2. aphor. 10.* quales sunt v. gr. jufcula pullorum gallinac. capon. ova sorbilia. Crem. hord. aven. cum vitell. ovor., pulmenta ex pom. borsdorff. ut & pruna cocta. Carnes & omnes cibi crassiores vitentur cum piscibus fructibusque hor rariis utpote facile fermentescibilibus. Potus sit tenuis v. gr. cerevisia benè cocta ac probè defecata. Somno & vigiliis non peccandum neque in excessu neque in defectu, sed mediocritas servanda. Eodem modo cum motu & quiete se res habet. Ratione animi pathematum, non indulgendum irę, similibusque motum humorum p. n. excitantibus. Preservationis gratia adhiberi possunt evacuantia blandiora, quo etiam pertinent sudorifera, cui scopo convenientissima erunt cum superius recensitis decocta lignorum, quæ simul minuunt & discutiunt acrimoniam, corpusque ab heterogeneitatibus in M. S. degentibus liberant, hocque sanum roborant ac firmant.

§. XXVIII. Et hęc sunto, quę ob temporis ingeniique mei angustiam, de Febre Catarrhalı proponere in animo habebam. Sin curiositati atque expectationi L. B. minus satisfecerim, cogitet velim ex proverbii formulā, ne quidem Jovem omnibus satisfacere ac placere posse; & quoniam sit supra captum hominis nunquam errare, ideoque à Te L. B. veniam me impetraturum, à Te inquam, homine, qui alienum à se nihil humanum putabit, confido. Interim Deo Ter Optimo Maximo pro assistentia suā, sit laus, honor & Gloria.

F I N I S.











